



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LXXXV. De Sacramento Pœnitentiæ secundùm quod est virtus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

manè possit audiri sine iactura itineris quod quis vult ingredi

4. Excusatur aliquis ratione officij, quod præstare non potest sine sacri omissione, vnde Præfati areum, milites præsidarij, & similes sæpè excusantur ab auditione sacri.

5. Potest charitas excusare, vt si quis non possit infirmum, cui inseruit, sine periculo valetudinis deferere, item nutrix, vel mater, quæ non potest paruulos deferere sine periculo, & ita de similibus.

6. Obedientia, vnde excusantur famuli, vxor, proles, quos heri, maritus, parentes impediunt, quo minus sacrum audiant, qui tamen eos sine causâ impediunt, grauiter peccant contra hoc præceptum, & proinde seriò sunt monendi, vt suis permittant sacrum audire, immò illorum est inuigilare, vt audiant, nec possunt pro arbitrio sine iustâ causâ à sacro impedire.

7. Excusantur & ex, quæ iuxta patriæ consuetudinem tempore luctus, vel partus foras non prodeunt, quâ in re spectanda est loci consuetudo, & curandum vt extra eum non extendatur. quod si ad alia negotia foras prodeant, non excusantur ab audiendo sacro.

Hæc & similia passim à Doctores congeruntur, ex quibus facillè licet iudicare quando hoc præceptum non censeatur obligare.

His varij addunt, quando timetur alterius ruina, sed hoc caput alij reiciunt, eò quod non debeat negligi præceptum propter scandalum passuum seu acceptum, quod communis verum est, licet in aliquo casu propter proximi fragilitatem prior sententia locum habere possit.

QVÆSTIO LXXXIV.

De Sacramento Pœnitentie.



VAMVIS inter Sacramenta pœnitentia neque ordine dignitatis, neque institutionis quartum locum obtineat: conuenienter tamen D. Tho. quarto loco tractationem de eâ instituit, cum post considerationem sacramentorum, quibus homo in bono promouetur per spirituales generationem, accretionem, & nutritionem, commodè subsequatur Sacramentum, quo vitam spirituales, & perfectionem per peccatum deperditam recuperamus, quam ob causam etiam Concilia Sacramentum pœnitentiæ quarto loco recensent.

Quia verò pœnitentia non tantum est Sacramentum, sed etiam virtus, S. Tho. de illâ sub vtraque consideratione pertractat. & quamvis præsentî quæstione agat de illâ sub priori consideratione, quia tamen ratio virtutis est communior, cum in omni lege virtus pœnitentiæ fuerit, & quia ordo variâ eorundem repetitione turbaretur, commodius visum est prius de virtute pœnitentiæ iuxta naturæ, & doctrinæ ordinem agere, & examen eorum, quæ S. Doctor tradit præsentî quæstione, in additiones reicere, vbi ex professo de pœnitentiæ Sacramento est agendum.

QVÆSTIO LXXXV.

De Sacramento Pœnitentie secundum quod est virtus.

ARTICVLVS I.

Verum Pœnitentia sit virtus?

NOTANDVM S. Tho. non velle querere, num omnis pœnitentia sit virtutis actus, & num omnis habitus inclinans ad actum pœnitentiæ sit virtus: sed num saltem aliquis habitus inclinans ad pœnitentiam de peccatis agendam sit virtus, & actus illi respondens sit actus virtutis?

Cum enim peccatum non tantum possit considerari, vt Dei iniuria, vel vt repugnans eius bonitati, item, prout impedit hominem à gloria celesti, vel iuxta varias alias rationes, de quibus in sequentibus; sed sint aliqua peccata, quæ causant infamiam apud homines, vel damna temporalia, sub quibus rationibus homo possit dolere de peccato, quamvis de cætero ipsum peccatum secundum se placeat, satis constat huiusmodi pœnitentiam non esse actum virtutis. talis fuit pœnitentia Antiochi, de qua 2. Machabæorum 9. constat etiam eam pœnitentiam nec esse laudabilem, nec virtutis actum, vel habitum, ex quâ homo ad desperationem moueatur, qualis fuit pœnitentia Iudæ Matth. 27. hoc prænotato

Conclusio S. Tho. est affirmatiua, quam probat in argumento, sed contra, ex eo quod præcepta (adde & consilia) dentur de actibus virtutum, scripturæ autem passim nos hortentur ad agendam pœnitentiam, eamque præcipiant, vt Matth. 4. Pœnitentiam agite. Lucæ 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. cap. 13. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis, & alibi.

Probatur etiam ratione: honestum est, & rationi consentaneum dolere de peccato, illudque detestari, siue spectetur vt contrarium rationi, siue secundum suam deformitatem specificam, siue vt est Dei offensa &c. igitur habitus ad illam inclinans est honestus & habitus virtutis. vbi

Aduerte ex S. Tho. responsione ad 3. hominem per pœnitentiam non eò tendere, vel conari, vt peccatum non sit commissum, vel vt reddatur infectum; id enim esset insulsum, vt optimè Dignus Tho. cum factum infectum reddi nequeat: sed ad hoc dolere de peccato, illudque detestari, & pœnas de eo sumere, vt ostendat illud sibi displicere, & quantum in se est, velle illud retractare: atque adeo, si in eius situm esset potestate, velle illud infectum.

Porrò hæc nullam dicunt indecentiam, sed sunt rationi maximè consentanea, quæ patent in eo, qui principem offendit, qui prudentum iudicio laudabiliter dolet de huiusmodi offensâ, eamque per sui humiliationem, & petitionem veniæ cœsetur moraliter retractare.

Ex his sequitur 1. nomen pœnitentiæ nullo modo esse reiiciendum.

Sequitur 2. pœnitentiam non esse nudam reformationem, seu mentis mutationem, vtrumque

Hæretico-
rum nostri
temporis,
error.

Job ult.
Luc. 10.

Luc. 1.

Cyprian.

August.

Resp. aff.

5.

6.

Omnis ho-
nestus ha-
bitus volu-
tatis prius
inclinat ad
amorem sui
obiecti,
quàm ad
odium con-
trarij.

7.
Peccatum
varij mo-
dis consi-
derati po-
test.

est contra hæreticos nostri temporis, qui censent ad penitentiam sufficere hanc mentis mutationem, & pro penitentia malunt substituere resipiscenciam, quam censent significari nomine græco *μετάνοια*. Sed primò, nomen penitentiae nullo modo posse reiici pater ex locis scripturæ citatis, item ex alijs. Job ultimo: *Idcirco ipse me reprehendo, & ago penitentiam in favilla, & cinere.* Lucæ 10. *Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere sedentes peniterent.* vbi obiter notandum in græco haberi *μετάνοια*. Idem patebit ex testimonijs Patrum paulò post citandis.

Ex quibus locis probatur penitentiam non dicere nudam mentis mutationem, sed dolorem, afflictionem &c. item ex cap. 11. Lucæ, vbi Niniuitæ dicuntur ad prædicationem Ionæ penitentiam egisse: constat autem ex Iona, quòd Niniuitæ non solum mentem mutarint, sed etiam sese varijs modis afflixerint, sacco, cinere, ieiunio. 2. Patres penitentiam in eadem significatione vsurpant, Cyprianus in sermone de lapsis: *Penitentia crimine minor non fit.* videri potest sermo, vbi fusc de actibus penitentiae agitur. Augustinus epistola 108. ad Seleucianum: *Est penitentia bonorum, & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora contundimus dicentes: dimitte nobis debita nostra.*

ARTICVLVS II.

Utrum penitentia sit specialis virtus?

CONCLUSIO est affirmatiua, quam probat S. Tho. ex eo quòd penitentia tendat ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa, in quo reperitur specialis honestas distincta ab honestate aliarum virtutum.

Notandum 1. aliquos existimare penitentiam esse virtutem generalem, seu non esse peculiarem quemdam habitum virtutis à cæteris virtutibus distinctum, sed quamlibet virtutem inclinare ad detestationem peccati, & posse huiusmodi actum operari, vel, vt alij explicant, actum penitentiae posse à qualibet virtute imperari. quæ sententia, vt intelligatur & simul percipiatur doctrina sancti Thomæ.

Notandum 2. quòd licet virtus penitentiae spectata sub conceptu penitentiae respiciat peccatum per modum fugæ (penitere enim dicit quemdam dolorem &c.) nihilominus tamen neque detestatio, neque dolor de peccato etiam cum proposito emendationis est primus actus habitus, qui est penitentia. nam omnis habitus honestus voluntatis prius inclinatur ad amorem sui obiecti quàm ad odium & fugam contrarij, vnde actus penitentiae, seu doloris de peccato censendus est ad illam virtutem pertinere, ad quam pertinet amor boni oppositi. vt ergo cognoscatur, num & quâ ratione penitentia dici possit virtus generalis, vel sit specialis.

Notandum 3. peccatum in ratione mali posse varijs modis considerari: nam potest spectari, prout secundum rationem particularem repugnat certæ virtuti. verbi gratia ebrietas potest spectari secundum suam rationem particularem, & peculiarem deformitatem, per quam repugnat virtuti, & honestati temperantiae. 2. peccatum potest spectari secundum rationes quasdam generales, quæ in

quolibet peccato possunt inueniri, vt quòd peccatum sit contra legem superioris, quòd nos priuet gratiâ, & bonis supernaturalibus, quòd auerzat à Deo summo bono, quòd eundem offendat &c. & propter vnamquamque istarum rationum possumus ferri motu displicentiae, & doloris in peccatum.

Dico 1. dolor de peccato, prout secundum suam rationem specificam repugnat certæ virtuti, non procedit ab vnicò habitu: sed singulæ virtutes respectu peccati oppositi possunt huiusmodi actum causare, & proinde penitentia hoc sensu non est vnica specialis virtus, sed certo sensu dici potest generalis, quatenus qualibet virtus potest inclinare ad destructionem sui contrarij. declaratur exemplis: alia est virtus quæ inclinatur ad detestationem, & dolorem de commissâ ebrietate secundum suam particularem deformitatem spectatâ, à virtute, quæ inclinatur ad dolorem de actu iniustitiae spectato prout per illum ius alterius læsum est, & ita de dolore cuiuslibet peccati concepto ex motu particulari boni oppositi.

Probatur conclusio ex secundo notabili: quia quælibet virtus non solum inclinatur ad amorem, desiderium, & prosecutionem sui obiecti: verum etiam inclinatur ad odium, detestationem, dolorem contrarij, ergo detestatio, & dolor de peccato secundum rationem specificam potest causari à varijs virtutibus, prout scilicet varia peccata virtutibus opponuntur. antecedens probatur, eo quòd omnis inclinatio habitualis prius respiciat bonum sibi proportionatum, cuius respectu se habet per modum positiui, quàm respiciat malum oppositum, respectu cuius se habet per modum fugæ, quia secundum suum modo sequitur ex priori.

Confirmatur, nullus habitus virtutis necessario supponit malum illi virtuti oppositum prius inuisse subiecto, ergo non datur habitus penitentiae, qui primò tendat ad destructionem peccati, sed omnis talis habitus debet primò inclinare in bonum suum, deinde verò inclinare ad odium contrarij, eiusque detestationem, dolorem & destructionem.

Ex quo obiter patet, esse emendabile, seu posse destrui per virtutem, non esse primam rationem, à qua virtus specificetur.

Dico 2. detestatio & dolor de peccato spectato secundum rationes generales est illius virtutis, ex cuius motu elicitur. vnde variae virtutes, singulae secundum suas rationes formales possunt inclinare ad dolorem de peccato.

Probatur, ex eo quòd variae virtutes possunt opponi peccato spectato secundum illas rationes generales, ergo possunt ad illius destructionem inclinare. hinc dolor de peccato, vt repugnanti infinitæ Dei bonitati, pertinet ad virtutem charitatis, quæ nos inclinatur ad amorem summi boni, dolor de peccato quia gratiâ nos priuat: quia priuat æternâ beatitudine, pertinet ad virtutem quæ inclinatur ad hæc, vt sumus nostrum bonum, & idem de reliquis motiuis proportionem est dicendum, vbi.

Aduerte, quòd licet secundum hanc conclusionem doleamus de peccatis sub ratione generali, nihilominus virtus, quæ inclinatur ad huiusmodi dolorem quodam sensu dici potest specialis, quatenus vna, & eadem virtus specie potest nos inclinare ad dolendum de quolibet genere peccati propter suam rationem formalem. verbi gratia virtus spei potest nos inclinare ad dolendum de peccato

peccato furti, homicidij, ebrietatis, fornicationis, propter suam rationem formaliter: quia videlicet hæc omnia impediunt aditum ad gloriam celestem &c.

Ex quibus patet bene dixisse sanctum Thomam pœnitentiam, quæ operatur ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensæ, esse specialem virtutem, nec obviare, quod peccata, quæ per pœnitentiam destruantur, sint diuersæ speciei: quia omnia conveniunt in eâ ratione generali, quæ ab aliquâ speciali virtute potest attingi.

ARTICVLVS III.

Virum virtus pœnitentiæ sit virtus iustitiæ?

AFFIRMAT. quia pœnitentia intendit satisfactionem pro peccato, in quantum est Dei offensæ, quod pertinet ad iustitiam. indicat tamen non esse speciem iustitiæ proprie dictam, seu partem eius subiectiuam, sed potentialem, de quo tamen potest esse

D V B I V M I.

Quenam virtus sit pœnitentia?

VARIA sunt hæc de re sententiæ. nam Caietanus artic. 2. huius quæst. censet esse religionem, cum quo quidam alij sentiunt. Alij censent esse charitatem.

Sanctus Thomas hic censet esse speciem iustitiæ, siue ut circa articulum notauimus, esse partem potentialem iustitiæ, quæ ad commutatiuam reducit, ut indicat ad tertium, quod etiam tenet Scotus dist. 14. q. 2. art. 2. Vasquez tomo 4. q. 85. artic. 3. dubio vnicò num. 31. & sequentibus, qui plures pro eâ citat.

Notandum videri certum, primò posse constitui virtutem, quæ nos inclinat ad satisfaciendum pro peccato, seu ad illud compensandum, in quantum est Dei offensæ, quod supponit sanctus Thomas artic. præcedenti, & præsentis, & docet Vasquez dubio citato. Suarez tomo primo de religionibus. 3. cap. 7. quia peccatum sub eâ ratione spectari potest ibi ostendo.

Secundò videri certum talem virtutem non esse Theologicam: cum virtus Theologica habeat Deum pro obiecto circa quod versatur, quod virtuti à nobis constitutæ non competit ut magis constabit, ex dicendis.

Ex quo obiter patet pœnitentiam consideratam secundum eam rationem non esse charitatem etiam inadæquate sumptam.

Ceterum quæstio potest aliquo modo esse de nomine inter primam, & tertiam sententiam. nam tertia debet fateri per pœnitentiam Deum respici, tanquam obiectum cui, & proinde aliquâ ratione vocari religionem, si videlicet per virtutem religionis intelligamus quandam virtutem moralem, quæ Deum respicit, & cui cultum persolvit, tamen

Dicendum, 1. pœnitentia prout tendit ad compensationem seu ad satisfactionem pro peccato, ut est Dei offensæ, videtur ponenda virtus distincta à virtute religionis communiter acceptâ, ira

authores tertiæ sententiæ, & Suarez loco citato.

Probatur ex eo quod ratio formalis obiectiua pœnitentiæ sit diuersa à ratione formali obiectiua religionis communiter sumptæ, cum religio inclinet ad cultum Deo reddendum, quia infinitæ eius excellentiæ debitum: pœnitentia verò inclinet ad ius Dei illæsum seruandum, seu non violandum, & illud resarciendum, si violatum fuerit, quæ rationes sunt diuersæ.

Confirm. ex eo quod Deus ius habeat longè altius, ut non offendatur per aliquod peccatum, quàm ut cultus à creaturâ ei deferatur, & creatura intellectualis longè strictiori præcepto obligatur ad seruandum illæsum ius diuinum, quàm ad cultum Deo deferendum. quæ diuersitas iuris in Deo, & debiti in creatura videtur arguere diuersitatem virtutis.

Dicendum 2. hæc virtus commodè ponitur pars iustitiæ, non quidem subiectiua, sed potentialis. posterior pars patet ex eo quod pura creatura non possit Deo satisfacere ad æqualitatem, & proinde virtus inclinans ad satisfaciendum Deo pro offensâ in illum commissâ, deficit à perfecta ratione iustitiæ, quæ spectat huiusmodi æqualitatem. prior verò pars

Probatur, quia spectat aliquo modo ad iustitiam velle ius diuinum seruare illæsum, illudque compensare si læsum fuerit, quod est munus pœnitentiæ.

Confirm. Deus non minùs iuris habet, ut compensetur offensâ in illum commissâ, quàm habeat homo, igitur virtus inclinans ad volendum huiusmodi compensationem, non incommode potest statui iustitiæ.

Ex dictis patet 1. hanc virtutem pœnitentiæ esse præstantiorem religioni, prout religio communiter accipitur. quia est longè excellentius velle Dei honorem manere illæsum, quàm velle eidem cultum deferre ratione infinitæ eius excellentiæ, & ius Dei ad illud prius est longè sublimius, quàm ius ad posterius, & debitum in nobis respectu prioris est maius, quàm respectu posterioris: quemadmodum ius quod competit homini, ne eius honor ab altero lædatur, est longè sublimius iure, quod eidem competit, ut ab aliis honoretur, & colatur: ex quo facile potest colligi virtutem pœnitentiæ primas tenere inter virtutes morales.

Patet 2. pœnitentiam non necessariò exigere, ut is, qui eâ est præditus, fuerit sub statu peccati, quia voluntas seruandi ius Dei illæsum, & fugiendi peccatum, in quantum est Dei offensæ, non necessariò supponit peccatum in homine, ut videtur patere ex terminis, & patet in simili in homine, qui potest velle honorem alterius illæsum seruare etiam antequam illum læserit. vnde virtus inclinans ad huiusmodi actus non necessariò supponit hominem peccasse; hæc autem est pœnitentia virtus specialis.

Ex quo facile potest colligi non fuisse solidam rationem, quæ mouit Caietanum, ut assereret pœnitentiam esse religionem (scilicet communiter acceptam) eò quod nulla virtus exigit, ut habens ipsam præxisterit sub eius contrario.

Dico enim primarium actum pœnitentiæ non esse detestationem, vel dolorem peccati commissi, in quantum est Dei offensæ, vel voluntatem satisfaciendi pro eo, sed esse voluntatem, quâ volumus, ut ius, quod Deus habet ad conseruationem honoris sui, ei maneat illæsum, & non violetur. quem

actum patet & per se esse honestum, & nullum supponere peccatum, & distingui à cultu latriæ. vnde sequitur, quod ipse habitus pœnitentiæ, etiam si distinguatur à religione, non præexigat statum peccati in subiecto.

15.
Arguitur
& Sotus.

Aliter respondet Sotus art. 2. cit. §. vnde ad argumentum, scilicet posse dari virtutem, quæ primario ordinetur ad morbos curandos, atque adeo culpam præsupponat. sed quod diximus, verius est, cum primarius virtutis actus sese habeat per modum amoris: quamvis actus pœnitentiæ sub illo conceptu spectatæ videatur supponere subiectum fuisse sub statu peccati. nam communi conceptu pœnitere supponit eum, qui dicitur pœnitere, peccasse, siue pœnitere idem sit quod detestari peccatum, siue idem quod dolere, siue velle pro eo satisfacere; nam qui detestatur peccatum vel secundum se spectatum, vel vt commissum ab alio &c. non dicitur communiter pœnitere.

16.
Fuit in
Christo, B.
V. & An-
gelis virtus
pœnitentiæ.

Ex hac explicatione facile patet resolutio quæstionis num in statu innocentie fuerit pœnitentia? item vtrum in Christo, B. Virgine, Angelis, beatis reperitur? ad quam licet varij negatiue respondeant, dicendum cenfeo fuisse; cum, vt ex dictis patet, nihil inuoluat imperfectionis, & de cetero primarius eius actus maxime Christum decuerit, similiter deceat B. V. Angelos, & beatos: quamvis actus, qui dicitur pœnitentia, non fuerit in Christo, B. V. Angelis, & statu innocentie, imò non reperitur in felici statu beatitudinis etiam respectu eorum, qui Deum aliquando offenderunt, quia ille status excludit omnem tristitiam, in qua vel consistit pœnitentia, vel quæ saltem pœnitentiæ est coniuncta.

Porro virtutem pœnitentiæ esse supernaturalem & infusam sequitur ex communiori sententia statuta virtutes morales infusas, de quo 1. 2. in materia de gratia.

Petitio 1. An dari possit naturalis; pendet ex eâ quæstione, an homo possit naturæ viribus velle ius diuinum illatum seruare, & vtrum possit iisdem viribus pœnitere de peccato.

17.
Resp. 1.

In qua videtur dicendum 1. hominem posse puris naturæ viribus iudicare debere illatum Dei honorem custodiri, & hominem debere quantum in se est pœnitere pro offensa in Deum commissâ: cum naturalis ratio possit aduertere hæc esse conuenientia.

18.
Resp. 2.

Dicendum 2. ex his non videri improbabile, quod homo possit aliquo modo viribus naturæ detestari peccatum, & de eo dolere, vt est Dei offensa, atque adeo posse dari virtutem pœnitentiæ acquisite, cuius tamen actus non sint proportionati fini supernaturali.

19.
Obiectio 1.
pro Caiet.

Pro sententia Caiet. potest obici primò, quod S. Tho. 2. 2. quæst. 80. ponens virtutes morales, quæ nos ad Deum ordinant solum meminerit religionis.

Resp.

Respondeo ibi quidem solius religionis meminisse: non tamen constituere vtrum sit vnica species: hic autem, & alibi satis ostendere posse constitui virtutem moralem distinctam à religione communiter acceptâ, per quam etiam ad Deum ordinemur, quod etiam ex dictis constat.

Obiectio 2.

Obiici potest 2. quod eadem virtus, quæ nos ordinat ad cultum Deo deferendum, possit nos inclinare ad Deum non inhonorandum, & ad dolendum de inhonoratione, si eum inhonoraue-
rimus.

Resp.

Resp. concedendo posse hæc ex virtute religio-

nis fieri, in quantum inhonoratio repugnat diuino cultui, sed proprie loquendo non omne peccatum diuino cultui repugnare, & de cetero continere Dei offensam, quam alia virtus potest respicere, seu inclinare ad satisfactionem peccati, vt est offensa Dei. his adde quod interdum vnum contrarium possit respici ab aliqua virtute, à qua non respiciatur aliud: vt patet in contumeliâ illatâ magistratui, ad cuius satisfactionem inclinatur iustitia: cum tamen ad honorem eidem deferendum (cui aliquo modo repugnat contumeliâ) inclinet obseruantia politica, & magistratus habeat ius longè altius, & alterius rationis, vt non afficiatur contumeliâ, quàm vt posituè honoretur.

Obiici potest 3. quod peccata non contineant propriam Dei iniuriam.

Resp. quidquid sit hæc de re, hæc ratio obiectiua, scilicet esse Dei offensam, est ab aliis distincta, & vt distincta commode reducitur ad iniuriam, atque adeo virtus, quæ inclinatur ad satisfaciendum pro peccato quatenus est Dei offensa, potest commode constitui iustitia modo supra explicato, & quidem commutatiua, vt sanctus Tho. hic, quia pœnitentia non inclinatur peccatorem ad actus suos, tanquam iudicem & superiorem, sed tanquam personam, quæ alium offenderit, & vt tendat quantum in se est cum diuino auxilio ad illam offensam compensandam, quod est munus iustitiæ commutatiuæ.

Dices, ex dictis videtur sequi finem intrinsecum pœnitentiæ non esse reconciliationem cum Deo.

Resp. ita esse: est enim compensatio peccati, quantum cum eius auxilio possumus.

D V B I V M II.

Quis sit actus, qui dicitur pœnitentia?

EX dictis facile potest colligi virtutem pœnitentiæ varios actus habere, partim per modum prosecutionis, partim per modum fuge. habet enim affectum, quo amamus diuinum honorem esse illatum & integrum, ex quo affectu natum est sequi gaudium, si concipiamus illum honorem reipsa esse illatum: oriri verò potest desiderium, vt reparetur, si apprehendamus violatum, ex eadem virtute oriri potest odium, & detestatio peccati, vt est Dei offensa, & quatenus per illud honor diuinus læditur, ex qua detestatione in subiecto capaci oriri solet dolor, si peccatum concipiatur perpetratum, & nondum remissum; oriri etiam potest voluntas satisfaciendi, seu compensandi iniuriam in Deum commissam, ex qua voluntate per modum intentionis se habente oriri possunt varij actus, quibus tanquam mediis tendamus ad satisfaciendum pro peccato.

Satis patet non omnes hos actus esse, vel dici actum pœnitentiæ, cum plerique illorum possint esse in Deo, Christo Domino, Angelis, & beatis, qui per suum statum non possunt elicere actum pœnitentiæ.

Queritur ergo quis ex illis fortiaur rationem actus pœnitentiæ? Resp. &

Dico hunc actum optimè constitui dolorem de peccato à se commissio. & quidem quod dolor pertineat ad rationem actus pœnitentiæ, videtur patere ex Concilio Flor. decreto de Sacramentis, vbi docetur, quod ad rationem contritionis perti-

beat dolor, similiter ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. ubi idem docetur, actus autem pœnitentiæ, quæ est virtus particularis, proportionem constituendus est in eo, in quo constituitur contritio, patet etiam ex communi conceptu pœnitentiæ: pœnitentia enim communiter concipitur per modum cuiusdam fuge, & cruciatus animi, quod cõuenit dolori. Confr. detestatio peccati, quæ maximè videretur constitui actus pœnitentiæ, potest inueniri in beatis etiam respectu peccatorum à se commissorum, in quibus tamen non inuenitur pœnitentia actualis.

Dixi de peccato à se commisso, quia dolor de peccatis alienis vt sunt Dei offensa, non est pœnitentia, vt patet ex communi cõceptu, & ex eo quod talis dolor fuerit in Christo, qui tamen non habuit actum pœnitentiæ, præterea pœnitentia dicitur quandam moralem retractionem eius, quod aliquis fecit, igitur dicitur quemdam respectum ad peccatum eius, qui dicitur pœnitere, à quo moraliter aueritur per pœnitentiam.

Aduerte, quod licet solus dolor videatur intrinsecè constituere actum pœnitentiæ: detestatio tamen ad eandem pœnitentiam causaliter pertineat, nam pœnitentia de peccato commisso maximè conaturaliter oritur ex detestatione eiusdem: proposito enim peccato à se perpetrato tanquam Dei offensa, & voluntate illud detestante, si detestatio sit efficax, ex eadem conaturaliter oritur dolor, per quem peccator crucietur de peccato, quia per illud Deum offendit, vnde Trid. supra descripsit contritionem etiam per detestationem, quia videlicet moraliter quando menti obicitur practicè peccatum commissum non dum condonatum, ex detestatione oritur dolor, & proinde morali consideratione detestatio causaliter pertinet ad contritionem, & pœnitentiam. imò verus dolor, & efficax de peccato esse nequit nisi virtualis saltem eiusdem peccati detestatio inueniatur.

Adde quod si vnus actus consideretur, vt ab alio distinctus, detestatio peccati principaliter videatur conducere ad eiusdem peccati remissionem, siue in, siue extra Sacramentum.

Notandum hominem non obligari ad hos actus pœnitentiæ exercendos: potest enim tam extra Sacramentum, quam in Sacramento iustificari, quamuis non doleat de peccatis sub ea ratione, quâ sunt Dei offensa, sed sub alio motiuo: vt quia peccata repugnant infinitæ Dei bonitati, vel quia nobis præcludunt aditum regni celestis &c.

Adde quod quando Scriptura nobis præcipit pœnitentiam, non intelligatur de actibus huius pœnitentiæ, sed de actibus pœnitentiæ perfectæ, quæ est cum Deo reconciliatiua; quia tam hortatur, quam præcipit pœnitentiam, vt Deo reconciliemur, quod fit extra Sacramentum per contritionem, non verò per actus pœnitentiæ virtutis particularis, & distinctæ à charitate.

ARTICVLVS IV.

Virum voluntas sit propriè subiectum pœnitentiæ?

AFFIRMAT, ex eo quod sit species iustitiæ, quæ est in voluntate. adde actus pœnitentiæ, de quibus præcedenti dubio diximus, esse actus voluntatis, igitur virtus ad illos inclinans sedem habet in voluntate.

Aduerte tamen 1. in appetitu sensitiuo posse in-

ueniri habitum huic virtuti subserviētem, vt patet In appetitu ex facilitate, quam aliqui experiuntur ad dolēdum modo sensibili de peccato. id autem oritur ex sympathia, & subordinatione potentiarum, ex qua fit, vt dum superior potentia versatur circa suum obiectum, inferior possit circa illud ipsum versari modo quodam cõfuso, & sensibili representatum, & experimur quod dum voluntas delectatur de Deo, & rebus diuinis, appetitus inferior modo quodam sensibili de iisdem delectetur ex confusa imaginatione sensibili earundem rerum, phantasia eas sibi modo corporeo representante.

Aduerte 2. hunc motum partis inferioris neque requiri ad perfectam pœnitentiam, neque semper esse signum perfectæ pœnitentiæ, cum possit oriri ex naturali complexionem facili excitante ad similem motum etiam eos, qui de cætero vel non habent pœnitentiam de peccatis, vel non nisi imperfectam.

ARTICVLVS V.

Virum principium pœnitentiæ sit ex timore?

RESPONDET actum pœnitentiæ procedere à timore seruilis, sicut à primo motu affectus ad hoc ordinato, à timore autem filiali sicut ab immediato & proximo principio. videtur velle, quod pœnitentia, quæ ad reconciliationem conducit, ortum habeat à timore pœnarum & perficiatur per timorem filialem, quo satisfactio voluntariè offertur Deo propter ipsius reuerentiam, in quo discursu S. Tho. agit de pœnitentia prout exercet munus pœnitentiæ.

Notandum 1. ex iis quæ tradunt Concilia, & Patres, quæ 1. 2. q. 109. art. 6. fusiùs solent explicari ad pœnitentiam vtiliter peragendam de offensa Dei, prout exigitur ad iustificationem, requiri speciale Dei auxilium, quo supposito plures actus recensentur à Conc. Trid. sess. 6. cap. 6. & S. Th. hic, qui animam disponant ad iustificationem. primus est actus fidei, quo credimus tum alia, tum mortem æternam deberi peccatoribus propter peccatum, inuenitur etiam actus fidei, quo credimus per Dei gratiam, & Christi redemptionem, hominem iustificari, inuenitur etiam ex parte voluntatis timor seruilis, quo homo concutitur, & metuit propter sua peccata damnari, alius motus voluntatis est motus spei ex consideratione diuinæ misericordiæ, tertius est motus in Deum auctorem iustificationis, quo peccator incipit eum diligere, quartus est odium & detestatio peccati ex quo oritur dolor, & voluntas compensandi diuinam offensam.

Notandum 2. hos actus non recenseri à Tridentino tanquam qui formaliter necessarij debeant inueniri in omni iustificatione, sed quod aditus, qui primùm venit ad fidem, & aspirat ad gratiam iustificationis per baptismum, communis per huiusmodi actus præparetur & promouetur. vnde potest dici Concilium descripsisse communissimum modum iustificationis, & voluisse distinctè enumerare omnes actus, qui possunt in iustificatione inueniri, licet non semper reipsa inueniantur, cum peccatores non semper sentiant in se formaliter omnes hos actus, dum ad iustificationem per Dei gratiam præparantur, & eliciunt actus pœnitentiæ.

ARTICVLVS VI.

28. *Vtrum pœnitentia sit prima virtutum?*

Varius sensus articuli.

NOTANDVM hanc quæstionem de multiplici prioritatis genere posse intelligi: primò enim quæritur potest num pœnitentia sit prima virtutum prioritare temporis, secundo num prioritare naturæ, tertio num secundum ordinem dignitatis, &c.

Non est prima nec tempore, nec naturâ, nec dignitate.

Respondetur 1. nullo ex his modis pœnitentiam esse primam virtutum. quod patet, quia virtutes Theologicæ sunt digniores moralibus, ergo pœnitentia non potest dici prima ordine dignitatis, cum sit virtus moralis. deinde eadem prius naturâ infunduntur, quàm morales, cum virtutes morales consequantur charitatem, igitur neque secundum ordinem naturæ pœnitentia potest dici prima, tertio hinc patet nec esse primam ordine temporis, cum virtutes saltem morales non infundantur ante charitatem.

29.

Nec actus pœnitentiæ est primus tempore.

Respondetur 2. neque ipsum actum pœnitentiæ esse primum ordine temporis. 1. quia saltem præcedit actus fidei, & spei. 2. quia si per actum pœnitentiæ intelligamus perfectam contritionem, actus charitatis, quatenus respicit Deum natus est præcedere, cum connaturaliter prius feramur in Deum, eum super omnia diligendo, quàm in peccatum, illud detestando & dolendo de illo, ut summè repugnanti diuinæ bonitati: si verò per actum pœnitentiæ intelligamus detestationem, vel dolorem peccati, ut est Dei offensâ, vel voluntatem huiusmodi offensam compensandi, non est etiam primus ordine temporis, tum quia inter illum actum, & actus aliarum virtutum non est talis subordinatio, ut alij necessariò debeant eum supponere, tum quia talis non elicitur ab eo, qui prius non peccauit, à quo tamen varij aliarum virtutum actus solent elici. Videtur tamen S. Th. tum in corpore, tum responsione ad 1. iudicare actum pœnitentiæ esse primum tempore inter actus virtutum moralium, sed ut hoc interdum verum esse possit, nullo tamen modo est necessarium.

QVÆSTIO LXXXVI.

De effectu pœnitentiæ quoad mortalium peccatorum remissionem.

ARTICVLVS I.

Vtrum per pœnitentiam omnia peccata remoueantur?

Resp. affir.

RESPONDET omne peccatum in hac vitâ per pœnitentiam veram deleri posse, ubi

Notandum S. Tho. non solum vel se perfectam pœnitentiam posse delere peccata, sed etiam omnem peccatorem, scilicet vrentem ratione posse in hac vitâ pœnitere, & ita posse peccatorum remissionem acquirere, circa præsentem articulum quædam dubia sunt examinanda, itaque

DVBIUM I.

Vtrum peccator vtens ratione possit in hac vitâ pœnitentiam agere de peccatis?

HENRICVS quodlibeto 8. q. 5. circa finem, Abulensis in Exodus cap. 4. q. 12. & quidam alij censent peccatores interdum ad eum peccatorum cumulum peruenire, ut non possint de peccatis sufficientem pœnitentiam agere, per quam exeant à statu peccati, Deo sufficientem ad id gratiam negante.

S. Tho. hic in corpore asserit viatorem posse de quolibet peccato pœnitentiam agere, & censet esse erroneum dicere, esse aliquod peccatum de quo quis in hac vitâ pœnitere non possit, quâ loquendi formâ non solum vult posse concipi pœnitentiam de quouis peccato si adsit Dei auxilium, sed etiam ipsum auxilium ex parte Dei paratum esse ad veram pœnitentiam concipiendam de quatuorlibet grauibus peccatis. S. Tho. sequuntur Driedo de captiuitate & redemptione generis humani tractatu quinto cap. 3. conclusione 8. Scotus dist. 15. q. 1. art. 1. & plures alij, tam antiqui, quàm recentiores.

Quæ sententia est omnino verior, & conformior Scripturæ dicenti Deum velle omnes homines saluos fieri 1. ad Timoth. 2. quibus verbis significat Apostolus Deum syacere velle hominum salutem, igitur etiam peccatorum quantumvis enormia peccata commiserint.

Confir. ex cap. 33. Ezech. Nolite mortem impij, sed ut conuertatur &c. idem habet capite 18. dicens: Nunquid voluntatis meæ est mors impij?

Probat 1. ex Prospero responsione ad objectionem 15. Vincentianam dicente: Nemini Deus correctionis admittit viam, neque quemquam boni possibilitate spoliât.

Probat 2. quâmdiu peccator etiam grauissimis peccatis obnoxius agit in hac vitâ, obligatur præcepto pœnitentiæ, ergo quâmdiu ratione vitur, eam potest agere.

Confir. vnusquisque vtens ratione nondum baptizatus tenetur baptismum recipere, & proinde etiam quilibet peccator nondum baptizatus, qui tenetur proportionatam dispositionem adferre, hæc autem in peccatore est dolor &c. de peccatis; qui verò incidit in peccatum post baptismum tenetur pœnitentiæ Sacramentum recipere, à quo præcepto nullus propter grauia sua scelera liberatur.

Cum verò homo non possit sine Dei gratiâ pœnitere vtiliter ad salutem, ex dictis potest elici, quantum est ex parte Dei nulli peccatori deesse auxilium sufficiens ad concipiendam veram peccatorum pœnitentiam, seu Deum, quantum est ex sua parte, paratum cuilibet etiam maximo peccatori auxilium sufficiens concedere ad concipiendam pœnitentiam de peccatis.

DVBIUM II.

Vtrum pœnitentia sufficiat ad delerionem peccati?

VARIJ fuerunt hac de re hæreticorum errores. quidam enim existimant pœnitentiam non